


Heineccius

De  
tutela  
postititia

1765









94. 55. num. 51

IO. GOTTL. HEINECCII, Ict.

POTENTISS. PRUSSOR. REG. A CONSIL. SECRET.

AVR. AC PHILOS. IN ILL. FRIDERIC.

PROFESS. PUBL. ORDIN.

DISSERTATIO

DE

TUTELA PACTITIA

SE V

CONVENTIONALI.

C. 246

He  
4587



---


LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

ciccccLXV.

24. 2. 06.







### §. I.

uum tot viri iuris peritissimi nostra hac *Institutratio*.  
aetate de tutela paetitia seu conventiona-  
li non modo dixerint sententiam, sed  
et argumenta omnia, quibus illa vel  
probari et defendi, vel oppugnari so-  
let, adcuratius expenderint, oportebat profecto causam  
hanc iam pridem esse peroratam et vindicatam. Sed ea  
est nonnullorum et doctissimorum ingenii conditio, ut  
praeiudicatis, quae semel animo insederunt, opinioni-  
bus, tamquam naufragi nantibus in gurgite vasto tabu-  
lis inhaereant, et cum sexcentis argumentorum gyris lu-  
tentur, ut, si non salua sententia sua, saltim cum ali-  
qua ingenii laude ex illis doctrinarum suarum fluctibus  
euadant. Hoc sane quibusdam, qui nuper admodum  
tutelam paetitiam in iure Romano non minus, quam Ger-  
manico praesidium reperire, ex instituto, et singulari-  
bus dissertationibus non modo statuere, sed et demon-

strare conati sunt, contigisse videtur. Ne quis ergo incautior paralogismis illis deceptus a iuris analogia, quae in arte nostra primum, secundum, ultimum est, aberret, *de tutela* *hac pactitia vel conventionali* binis dissertationibus agere constitui, ordinis et perspicuitatis causa ita partiturus hanc materiam, ut priore iuris Romani, posteriori Germanici principia paulo diligentius excutiam, expensisque, quae hoc facere videntur, omnibus rationibusque subductis, id genus tutelae Romanis ignotum, Germanis notissimum, ac paene quotidianum suisse, ostendam.

## §. II.

*Quid sit tutela pactitia?*

Quod ad ius Romanum attinet, in illo praesidium non reperire tutelam illam pactitiam, tot potest argumentis demonstrari, ut, si omnia hic adferre, et pro eo, ac decet, exornare coner, vix finem repertura videatur oratio. Ut ergo selectu utar, praeccipua tantum consecabor. At statim in ipso dissertationis limine paucis praemittam, per *tutelam pactitiam* intelligi illud tutelae genus, quam quis ex promissione vel pacto ita suscipit, ut nullam aliam causam, cur tutelam administret, allegare teneatur, nullaque alia ratione indigeat. Id ideo monendum duxi, quod in ipsa definitione plerosque a scopo aberrare animaduerti. Neque enim quaeritur, an non aliquando patri vel magistratu quis promiserit, se tutelam suscepturum, isque ex promisso suo ad illam suscipiendam obstrictus sit: sed an ille ex solo isto titulo tutelae administrandae ius sit consequutus? Prius sane

nec

nec illi inficiantur, qui ipsam negant tutelam pactitiam; posterius vero est, quod iuris Romani principiis et analogiae omnino refragari, contendunt. Neque enim, qui se tutorem futurum promisit, statim ex pacto tutor est, sed qui ex pacto illo iustum caussam, iustumque titulum habet suscipienda administrandaque tutelae. Quemadmodum ideo nemo statuit tutelam *petitiam*, quia quidam tutores petebantur, siue ex voluntate, siue ex necessitate<sup>a)</sup>), nec *nominatitiam*, ut ita loqui liceat, quia solebant quidam vel vtro, vel a magistratibus interrogati tutores per se aliosue nominare<sup>b)</sup>), quia vtrique non a postulatione et nominatione, sed a datione magistratus ius tutelae consequebantur: ita recte existimant viri docti, eam, quae ex promissione vel pacto oritur, tutelam non esse pactitiam, sed ad quam suscipiendam administrandamque initum cum patre pactum solum sufficiat, sicuti solum testamentum testamentario, sola agnatio legitimo, sola denique magistratus auctoritas datiuo sufficit ad munus illud recte et ordine obeundum.

a) L. 2. ss. 1. et 3. D. qui pet.      b) L. 2. D. de fideiussor. et  
tutor. vel curat.      nominat.

### §. III.

Talem vero tutelam pactitiam numquam innotuisse Romanis, vel ex eo intelligitur, quod veteres iuris autores, etiam ubi ex instituto et δογματινως tutelae species enumerant, nusquam *pactitiae* vel verbo meminerunt. In *Institutionibus Iustinianus de tutelis* ait<sup>c)</sup>: *permisum est tres, tutelae paren-*

*species recen·parentibus, liberis impuberibus, quos in potestate habent,*  
*fentur.* TESTAMENTO tutores dare. Hinc porro <sup>b)</sup>: quibus autem testamento tutor datus non est, his ex lege duodecim tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi. Denique subiicit imperator <sup>c)</sup>: si cui nullus omnino tutor fuerat, ei DABATVR, in urbe quidem a praetore urbano et maiore parte tribunorum plebis, tutor ex lege Attilia, in prouinciis vero a praefidibus ex lege Iulia et Titia. Et de his tribus tutelae generibus etiam singulares titulos cum in Institutionibus, tum in Pandectis et Codice reperimus: de pactitia tantum abest, vt ex instituto actum esse videamus, vt eius ne verbo quidem in tutelarum rectione mentionem fieri animaduertamus. Similiter omnes tutelae species coniungit Vlpianus <sup>d)</sup>, dum disquirens, cui recte soluatur? siue autem, inquit, LEGITIMI sunt, siue TESTAMENTARI, siue ex inquisitione DATI, recte vel uni soluitur: non omissurus profecto pactitios, si quos eius generis existere ex iuris analogia posse credidisset. In Caii, quae adhuc exstant, fragmentis, pessime quidem siue ab Aniano, siue ab alio exceptis, initio parum adcurate dicitur <sup>e)</sup>: tutores aut LEGITIMI sunt, aut TESTAMENTARI: attamen quibusdam interiectis suppletur, quod in illa enumeratione omissum est, additurque <sup>f)</sup>: quodsi nec TESTAMENTARIUS tutor fuerit, nec LEGITIMVS: tunc inquisitione iudicis pupillis tutores DANTVR. De pactitia ne γρύ quidem. Idem et in Vlpiani fragmentis, vbi ex instituto de tutelis agitur, obseruamus. In eis enim primo differit

differit de tutelis *legitimis*<sup>g</sup>), deinde de *testamentariis*<sup>h</sup>), denique de tutoribus, qui ex lege Atilia, Iulia et Titia, Iunia Norbana, lege Iulia de maritandis ordinibus, itemque ex SCtis, et moribus a magistratibus *dabantur*<sup>i</sup>): *pactitiae* vero toto eo capite nec volam, nec vestigium exstare voluit. Nec verosimile est, hanc tutelae speciem ab Aniano in Caii et Vlpiani libris esse expunctam, quum illa vel maxime consentanea esset moribus Gothorum, aliarumque originis Germanicae gentium, ut nulla illis ratio fuerit eam inuidendi Romanis, vel illorum autores truncandi, expungendique id, a quo ipsi minime abhorrebat. Denique iterum Iustinianus, vbi episcopos et clericos ab omni tutelarum onere immunes esse iubet, non alia habet, quae recenseat, tutelarum genera, quam illa tria, ac proinde sancit<sup>k</sup>), *ut immunitatem ipso iure omnes habeant tutelae, siue TESTAMENTARIAE, siue LEGITIMAE, siue DATIVAE.* An non intererat, et *pactitiae* mentionem fieri, quum de immunitate ab eius generis tutela vel maxime dubitari potuisse? Non dicam de aliis vetustis scriptoribus, e quorum numero Boëthius<sup>l</sup>) *tutelam aut CONSANGVINITATIS gradu, vel PATRONATVS iure deferri, aut TESTAMENTO patris eligi, aut PRAETORIS iurisdictione formari* ait, nullo alio praeter hos modos tutelam consequendi admissio.

- a) §. 3. *Infl. de tutel.*
- b) *Pr. Infl. de legit. agnator. tutel.*
- c) *Pr. Infl. de Atil. tutor.*
- d) L. 14. §. 5. *D. de solur.*
- e) Caii *Inflir. lib. 1. tit. 7.*
- f) *Ibid. fl. 2.*
- g) VI-

- g) Vlpian. *Fragm. tit. II. §. 3. sqq.* k) *L. 52. pr. C. de episc. et cler.*  
 h) *Ibid. §. 14. sqq.* l) *Commentar. ad Topic. Cicero. lib. III.*  
 i) *Ibid. §. 18. sqq. ad §. 24.*

## §. III.

*Vis huius ar-  
gumenti.*

Desumptum hoc a veterum silentio argumentum non leuis omnino ponderis esse, facile mihi largientur illi, qui non fingendam esse nouam Romanorum iuris prudentiam, sed veterem ac genuinam ex iuris istius auctori- bus, tamquam ex limpidissimo fonte, hauriendam esse existimant. An enim verosimile est, veteres omnes, qui ius ex instituto in artis formam redegerunt, nobilissimam illam tutelae speciem, veluti ex compacto, suisse omissuros, eiusque ne obiter quidem fuisse facturos mentionem, si illam vel legibus, vel moribus atque visu probari sciuissent? Quemadmodum ergo recte veteribus credimus, homines esse vel *liberos*, vel *seruos*<sup>a</sup>), illos vel *ingenuos*, vel *libertinos*<sup>b</sup>), alios porro esse *sui iuris*, alios *alieno iuri subiectos*<sup>c</sup>), illos vel *in parentum*, vel *in dominorum potestate esse*<sup>d</sup>): hereditatum duplicum esse conditionem, easque vel *ex testamento*, vel *ab intestato* ad nos pertinere<sup>e</sup>), ac proinde non alia esse hominum, protestatum, successionisque hereditariae genera merito existimamus: ita non est, cur noua tutorum genera inserre velimus in veterem Romanorum iuris prudentiam, cum antiqui illi scriptores, a quibus ciuilem istam sapientiam, veluti per manus traditam, accepimus, plura, quam tria ista tutelarum genera numquam agnoverint. Non equidem

dem ignoro, partiri et diuidere non auctoritatis esse, sed merae artis, ac proinde diuisiones non esse legibus adstrictas, nec quemquam, qui rectius et magis διαλεκτικῶς possit genus in suas species diducere, legum terriculamentis esse ab eo instituto dimouendum. *Corpus enim iuris,* inquit Thomasius<sup>f</sup>), *est systema, plurima alia, quae leges non sunt, continens. Definitiones enim, diuisiones, differentiae, et regulae doctrinales inde deductae, sunt doctrinae intellectum informantes.* At scio etiam, eum, qui diuisionem, tamquam minus adaequatam, impugnat, ostendere debere, esse secundum illius artis principia et alias species ea diuisione non comprehensas. Quum vero ostendi non possit, exstissem vñquam apud Romanos tutores, qui ex ea sola caussa, quod se tutelam suscepuros promiserint, ad suscipiendam administrandamque tutelam fuerint admittendi: merito praesumendum est, veteres ius, in quo versati sunt, non ignorasse, nec plures ipsis notas fuisse tutelarum species, quam *testamentariam, legitimam, et datiuam,* maxime quum nulla idonea possit reddi ratio, cur dissimulare voluerint *pactitiam,* cum nec sub testamentaria, nec sub datiuâ, possit comprehendî.

- a) *Pr. Inst. de iur. person.*
- b) *ſ. ſ. Inst. eod.*
- c) *Pr. Inst. de his, qui sunt sui vel al. iur.*
- d) *Ibid.*

- e) *§. vlt. Inst. per quas person. cuique adquir.*
- f) *Diff. de rite formando statu controuersiae, an legum iuris Iustiniani sit frequens, an exiguis vissu practicus in foris Germaniae, ſ. ſ. pag. 10.*

## §. V.

*Itemque secundo, quod de munere publico pacisci non licuerit.*

Deinde satis inter omnes constat, tutelam ex I Ctorum Romanorum sententia fuisse munus publicum. Et tutelam, inquit Iustinianus <sup>a)</sup>), placuit munus publicum esse, id est, ut apud Theophilum ibi λειτόγρυμα explicat scholiastes Graecus <sup>b)</sup>): λειτόγρυμα γάρ ἐστιν δημόσιον πρᾶγμα, διδόμενόν τινι, οἷον σιτωνιὸν, ἔφορον: munus publicum est curatio alicui publice collata, qualis est eorum, quibus cura frumenti vel ephoria demandata est. Hermogenianus <sup>c)</sup>): atque personale M V N V S est tutela, cum adulati furiosissime cet. Idem porro et Arcadius Charisius <sup>d)</sup>, et Callistratus <sup>e)</sup>, et maxime Pomponius <sup>f)</sup>, a quo tutela aequae, ac magistratum functio, P V B L I C I S C A V S S I S diserte adnumeratur, satis manifesto confirmant. Iam nemo sibi temere persuadebit, ideo id nomen tribui tutelae, quod eius finis vel obiectum, yti vocant philosophi, ad rem publicam pertineat. Id enim diserte negat Modestinus, dum scribit <sup>g)</sup>), tuteli non est rei publicae munus, nec quod ad impensam pertinet, sed ciuale: nec prouinciale videtur tutelam administrare. Ac proinde superest, ut cum Vlpiano <sup>h)</sup>, aliisque viris doctis dicam, tutelam ideo censeri munus publicum, quod illud necessario obire teneamur lege, more, imperione eius, qui iubendi habeat potestatem <sup>i)</sup>; adeo, ut non videatur leuis culpa, contra iuris auctoritatem mandatum tutelae officium detrectare <sup>k)</sup>). Sed quin haec omnia talia sint, ut ne ab iis quidem ignorentur, qui aliud sciunt nihil: religioni mihi duco, rei vulgo notissimae diutius immorari.

a) Pr.

- a) *Pr. Inſt. de excusat.* f) *L. 9. D. de his, qui sunt sui  
b) Apud Fabrott. in Not. ad vel al. iur.*
- Theophil. pag. 133. g) *L. 6. §. 18. D. de excusat.*  
c) *L. 1. §. 4. D. de muner. et h) Vinn. ad pr. Inſt. cod.  
honor.* i) *L. 214. D. de verbor. signif.*  
d) *L. vlt. §. 1. D. evd.* k) *L. 39. §. 6. D. de adminiflr.  
e) *L. 17. §. 2. D. de excusat.* et peric. tutor. vel curat.*

## §. VI.

Iam vero inde merito firmissimum duxi argumen. *Id quod probatur.*  
tum, non potuisse tutelam vlli ex pacto cum patre inito  
ex iuris Romani principiis deferri. *Ius publicum enim,*  
*vti tradit Papinianus* <sup>a</sup>), *priuatorum pactis mutari non  
potest.* Et in summa id obseruandum esse monet Paul-  
lus <sup>b</sup>), *si pactum conuentum a re priuata remotum sit, illud  
non esse seruandum.* Si ergo circa ea, quae publicam  
caußam habent, nullum priuatis paciscendi arbitrium,  
nullum statuendi ius, nulla facultas fuit, frustra etiam  
procul dubio fuit pactio de muneribus publicis, atque  
adeo et de tutela suscipienda administrandaque, quae ne-  
mini, nisi publica auctoritate, deferebatur. Et hoc  
ipsum est, quod definitione sua expressit Seruius, dum  
non quamuis *vim et potestatem in capite libero*, quam sibi  
quis fortassis suo arbitrio sumferit, vel a patre priuatim  
sibi decretam susceperit, sed **IURE** demum **CIVILI** da-  
tam ac *permittam*, adeoque publica auctoritate suscep-  
tam, **TUTELAE** nonnihil venire docuit <sup>c</sup>). Atqui  
tutori pactio non *iure civili data est illa vis ac potestas*,  
sed priuata auctoritate: nec illud ius usquam priuatis per-  
mittit, vt de tutela pactis statuere possint: immo, vt dixi,

rationi iuris ciuilis refragantur pacta quaelibet, quae de publicis caussis et muneribus ineuntur. Ergo ita tutela pactitia ex iuris Romani principiis non est tutela, ac proinde falsum est, vllum ex istius iuris principiis ideo tutorem suisse, quod patri, sese tutorem liberorum eius fore, promisisset.

- a) L. 88. D. de pact.
- b) L. 27. §. 4. D. cod. vbi sine ratione textum follicitat, et pro re priuata, re publica legi iubet
- Iac. Cuiac. Observat. lib. I. cap. 24.
- c) §. 1. Inst. de tutel. l. 1. pr. D. cod.

## §. VII.

*Cui non obstat,  
quod pater te-  
stamento suo  
arbitrio de tu-  
tela statuere  
potuerit.*

Obuertere equidem hic mihi aliquis posset tutores testamentarios, quippe qui et ipsi priuato patris arbitrio fuerint tutelam consequuti, ac inde colligere, nullam suisse caussam idoneam, cur, cum licuerit patri testamentum condituro optimum consilium pro liberis capere, iisque tutorem supremo iudicio dare, non aequa li- cere debuerit cum viro bono pacisci, vt liberorum suorum tutelam, si quid sibi humani acciderit, susciperet, et cur illa conuentio huic ad consequendam tutoris potestatem non aequa suffecerit, ac ipsa vltima patris voluntas. Enimuero, qui paullo adcuratius posuerit calculum, illico animaduertet, inter utramque illam spe- ciem permultum interesse. Primo enim tutela testamen- taria est iure ciuili permissa, lege nimirum illa vetustissima decemuirali, quae, tamquam carmen aliquod necessarium, ICtis toties in ore est: PATERFAMILIAS VTI

LEGAS-

LEGASSIT SVPER FAMILIA, PECVNIA, TV-  
TELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO<sup>a)</sup>): ac pro-  
inde tantum abest, vt priuata auctoritate quis hanc tute-  
lam adipiscatur, vt eam ipsi legi debeat, ac proinde VI-  
pianus<sup>b)</sup> et testamento datos tutores *legitimos*, vocare  
non dubitet, quod, vt ipse ait, *ex lege descendant*. Vbi  
vero similis, quoefo, exsistit sanctio de pacis super tute-  
la incundis? Qua vñquam vel lege, vel plebis scito,  
vel SCto, vel constitutione principum cautum est, vt,  
quomodocumque patersfamilias cum aliquo paetus esset  
super tutela liberorum suorum, ita ius esset? Talis pro-  
fecto lex neque vñquam, neque vñquam exstare potuit,  
quum, vt iam monui, omnis de causa publica priuato-  
rum paetio potius a legibus infirmetur. Ergo nec argu-  
mentum ab ultima patris voluntate recte duci potest ad  
tutelam paetiam. Deinde nec id praetermittendum est,  
testamenta ipsa, quippe olim populi suffragiis in comi-  
tiis calatis condita<sup>c)</sup>, non fuisse priuatam testatorum, sed  
publicam ipsius populi voluntatem, ac proinde tutorem,  
supremo patris iudicio datum, non priuata, sed publi-  
ca auctoritate, vera nimurum lege constitutum esse:  
quod et de tute paetio adfirmare velle, absurdissimum  
mehercule videretur. Denique quamuis existimare quis  
posset, vetusta haec esse, et, quia iam pridem abolita  
sint<sup>d)</sup>, ad ius Iustinianum nihil facere, nam postea  
saltim vnicuique facultatem datam esse de tutela non mi-  
nus, quam de pecunia rebusque suis, quaecumque pla-  
cuerit, supremo iudicio statuendi: illi tamen merito in

memoriam reuoco notissimum, quod Papinianus <sup>a)</sup> inculcat, principium, *testamentificationem non priuati, sed publici iuris esse.* Testes enim quinque, quos interesse oportebat testamentificationi per aes et libram, ipsum populum, cuius olim suffragiis supra*ma iudicia firmabantur*, representabant et sollemitates omnes, quas et nouissima iura requirunt, veteres illos et hodie adumbrant, eoque sit, ut et mutato vetusto illo testamento ordinandi ritu, saluum tamen sit vetus principium, *testamentificationem esse iuris publici.* Hoc vero posito, quis, quaeso, dixerit, tutelam testamentariam priuati suisse arbitrii? quisue sine manifesto paralogismo colligat, liuisse priuatis testamento de tutela statuere, ac proinde nec pacta super illa esse potuisse illicita?

- a) Auctor ad Herenn. lib. I. cap. 13. Cicer. de inuenit. lib. II. cap. 50. l. 53. l. 120. D. de verb. signif.
- b) Fragment. tit. n. §. 3. et ibi Schulting. pag. 594.
- c) §. 1. Inß. de testam. ord. Theophil. Paraphras. ibid. Gell. Noct. Attic. lib. XV. cap. 27.
- d) Vlpian. Fragment. tit. 20. §. 2.
- e) L. 3. D. qui testament. fac. poss.

## §. VIII.

*Nec, quod fas  
fuerit, tutela  
in iure cedere.*

Ne vero quidquam, quod lectorem morari possit, praetermittere videar, fateor, mihi, pacta omnia de suscipienda tutela, tamquam caussa publica, inita profili-ganti non sine specie obuerti posse tutelam cessitiam, cuius meminit Vlpianus <sup>a</sup>). Ait enim, legitimos tutores aliis tutela olim in iure cedere potuisse, cumque, cui illa cessa

cessa esset, *cessicu[m] vel cessitium* tutorem adpellatum, quo siue mortuo, siue capite minuto, siue tutelam alii cedente, tutelam ad legitimum tutorem rediisse: sed et, si legitimus decesserit, aut capite minutus fuerit, cessitiam illam tutelam extinctam esse. Addit tamen, cessionem istam tutelae sua actate non amplius processisse, quum et feminarum tutelam legitimam, in qua aliquamdiu cesso illa in usu permanserit, lex Claudia sustineat. Iam, qui cedit, tutelam procul dubio mandat, et ius suum, intercedente conuentione, in alium transfert: ac proinde perperam negare videbor, licere priuato de tutela suscipienda cum alio conuenire. Sed salua res est. Primo enim ea cesso non siebat priuato arbitrio, sed in iure. In iure cesso, ut ait Caius noster apud Boëthium <sup>b</sup>), fit hoc modo: *apud magistratum populi Romani, veluti apud praetorem, vel apud praesidem prouinciae, is, cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat: HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO.* Deinde, postquam hic vindicauerit, praetor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet? Quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit, eam rem ADDICIT, idque legis actio vocatur. De quo ritu plura monent viri docti, qui Caii *Institutiones* animaduersionibus suis illustrarunt, Alexander Oiselius et Schultingius <sup>c</sup>). Quis vero priuato arbitrio in cessionarium translatam esse dixerit tutelam, quae ei a magistratu, penes quem erat legis actio, addicebatur? Deinde ex Vlpiano constat, solam tutelam legitimam, et ne hanc quidem omnem,

sed

sed feminarum, eo ritu cedi potuisse. Quod sane argumento est, singularem fuisse huius tutelae indolem, ex qua id sequeretur, ut alii cedi posset. Nimurum haec sola tutela, vti recte obseruat laudatus Schultingius<sup>d</sup>), semel delata erat ita in tutoris legitimi dominio Quiritario, ut quasi partem patrimonii constitueret, ac proinde non minus cessione in alterum transferri posset, quam legitima hereditas<sup>e</sup>). Quod vero ex singulari vnius aliqui tutelae natura ac indole fluit, id non potest ad tutelam in vniuersum proferri. Ut iam dixi, perperam illos composituros esse rationem, qui, quod in certa tutelae iam delatae specie leges permiserint, id ad tutelam etiam deferendam pertinere existiment, quum de ea, quam habemus, pacisci semper liceat, non semper de ea, quam non habemus, si vel maxime illam spe satis certa nobis desponderimus<sup>f</sup>). Maneat ergo fixum et firmum, tutelam, tamquam munus publicum, non fuisse obiectum pactionis, eatenus scilicet, ut quis ob eam solam, non intercedente vel testamento, vel cognationis necessitudine, vel auctoritate magistratus, eam vim et potestatem in capite libero consequeretur.

a) Fragment. tit. ii. §. 6. sqq.

b) Commentar. in Topic. Ciceron. lib. III.

c) Iuris prud. ver. anteius. pag. 84. sqq.

d) Ad Vlpiani Fragment. pag. 595.

e) Vlpian. Fragment. tit. 19.

§. ii. sqq.

f) Exemplum est in hereditatis venditione: nam venire potest iam delata, non futura. I. i. l. 7. D. de hered. vel act. vend.

## §. VIII.

## §. VIII.

Progrederior ad tertium, idque fere palmarium argu- Tertium ar-  
 mentum, quod nisi solide stabiliretur, frustranea erit <sup>gumentum,</sup>  
 quod iure Ro.  
 omnis, quae de tutela paetitia suscipitur, disputatio. Ni- <sup>mano eadem</sup>  
 titur hoc analogia, quae inter hereditatem ac tutelam <sup>fit hereditatis,</sup>  
 iuris nostri principiis obseruatur, et quae tanta est, vt <sup>cX ac tutelae,</sup>  
 vtraque eodem iure censetur, et fere ab una ad alteram  
 ducatur argumentum. Ut rem ab ouo ordiar, primi,  
 qui hanc analogiam stabilierunt, fuere decemuiri, quos  
 in legibus 12. tabularum hereditatem et tutelam vbique  
 coniunxisse nouimus. Quemadmodum enim iam supra  
 ostendi, eos permisisse cuius patrifamilias supremo iudi-  
 cio disponere cum *de pecunia familiaue*, tum *de tutela suae*  
*rei*, id est, liberorum suorum, qui patris contemplatio-  
 ne non personae, sed res in eius dominio Quiritario con-  
 stitutae erant: ita et de eo casu, quo siue penitus, siue,  
 quod ad tutelam attinet, pater intestatus deceperat, san-  
 xerant, *vt si intestatus moreretur, eique impubes heres es-*  
*set, agnatus proximus tutelam nanciseretur*<sup>a</sup>). Quem-  
 admodum itaque heres testamento scriptus, ita et datus  
 testamento tutor reliquis omnibus videbatur anteferendus.  
 Et sicuti, non extante testamento, sanguine proximi ad  
 hereditatem, ita iidem ad tutelam vocabantur, et ita  
 quidem, vt aequi, ac in hereditate, propior excluderet  
 remotionem, plures vero eiusdem gradus simul admitte-  
 rentur<sup>b</sup>). Quumque iure illo antiquo soli agnati et  
 gentiles, non aequi cognati, hereditatis legitimae essent  
 participes, ad eosdem etiam solos pertinebat tutela legi-

C

tima.

tima. Hinc perpetua ab hereditate ad tutelam, et ab hac ad illam consequitio. Quemadmodum enim qui proximus est ad successionem, is non minus ad tutelam proximus esse dicitur <sup>c</sup>): ita inuerso ordine Q. Mucius <sup>d</sup>): quo, inquit, *tutela redit, eo hereditas peruenit, nisi quum feminae heredes intercedunt*; et Caius <sup>e</sup>): *is, qui proximus fuerit ad tutelam, ipse proximus est ad hereditatem.* Quam regulam licet vtroque loco sollicitent viri docti, veluti Franc. Balduinus <sup>f</sup>), Franc. Hotomanus <sup>g</sup>), et Iac. Oiselius <sup>h</sup>), qui exemplo Graecorum, nec non Accursii et Placentini, verba vtrōbique traiicienda esse censem: ea tamen rectissime se habere argumentis tam solidis demonstrauit Iac. Gothofredus <sup>i</sup>), vt caussam perorasse omnino videatur. Quin ideo pari passu ambulare visae veteribus sunt tutela et hereditas, vt Paullus <sup>k</sup>) tutelas legitimas eadem ratione, ac hereditatem, interuerti obseruet: et generatim ICti, sperata tutela testamentaria, locum non esse legitimae contendant <sup>l</sup>), non ex alia ratione, vt recte vidit Christ. Thomasius <sup>m</sup>), quam quod non magis, quod ad tutelam, quam quod ad hereditatem attinet, quisquam pro parte testatus, pro parte intestatus decedere possit. Hactenus ergo omnia eadem sunt in hereditate, vt tutela testamentaria et legitima. Accesserunt vero post 12. tabulas quedam noua: *primum*, vt testamentarii tutores, non rite dati, ac veluti vitio creati, a magistratu confirmarentur: *alterum*, vt pupillis, nec testamentarium, nec legitimū habentibus, tutor in vrbe a praetore cum maiore parte tribu-

tribunorum plebis, in prouinciis a praesidibus daretur; quorum prius constitutionibus principum<sup>n</sup>), posterius legibus, tum Atilia, tum Iulia et Titia primum inuenitum<sup>o</sup>), ac nouis constitutionibus subinde immutatum esse nouimus<sup>p</sup>). Enim uero ne in his quidem nouis iuribus a vetere illo principio, quod tutelae et hereditatis eamdem esse indolem oporteat, discesserunt. Quemadmodum enim iam inde ab antiquissimis usque temporibus eo iure gaudebat praetor, ut si minus iuste heres quis testamento scriptus esset, illi tamen posset, positis certis requisitis, possessionem secundum tabulas dare<sup>q</sup>): ita vere ac re ipsa praetor dabat tutorem veluti secundum tabulas, quoties testamento non recte et ordine datum, vel cum inquisitione, vel sine eadem confirmabat. Quumque et in potestate praetoris esset, bonorum possessionem dare personis quibusdam, quas nec supremum defuncti iudicium, nec lex ad successionem vocabat<sup>r</sup>): non absurdum videbatur, eidem et ius esse dandi tutores non habentibus, quamuis nec ex testamento, nec ex lege ad tutelam vocatos. Adeo perpetua est hereditatis ac tutelae analogia, tanta que utriusque similitudo, ut si ab una ad alteram ducatur argumentum, nihil fiat, quod sit a veterum iuris auctorum more ac consuetudine alienum.

- a) L. 5. pr. D. de legit. tu-      c) §. vlt. Infl. cod. l. 4. C. cod.  
tor. l. 1. l. 9. D. cod. Add. Iac. l. 2. C. de curat. furios. Nouell.  
Gothofredus ad 12. tabb. pag. 95. n8. cap. 4. 5.  
sequ. tom. III. Thes. iur. ciuil.  
b) L. 8. D. de legit. tutor. l.      d) L. 73. pr. D. de reg. iur.  
p. D. cod.                                    e) In-

- e) *Institut. lib. I. tit. 7. §. 1.*
- f) *Iuris prud. Mucian. pag. 506. tom. I. Iuris prud. Rom. et Attic.*
- g) *Observat. lib. VI. cap. 5.*
- h) *Ad Caii Inst. lib. I. tit. 7. §. 1.*
- i) *Commentar. ad tit. D. de reg. iur. pag. 921. sqq. edit. no- uiss.*
- k) *L. 7. §. 2. D. de cap. min.*
- l) *L. u. pr. et §. 1. D. de te- stam. tut.*
- m) *Schol. ad Huberi Praeleg. Inst. lib. I. tit. 14. §. 3.*
- n) *L. 1. §. 1, in fin. D. de con- firm. tut.*
- o) *Pr. Inst. de Atil. tutor.*
- p) *§. 3. Inst. cod.*
- q) *Vlpian. Fragment. tit. 28. §. 5. 6. pr. Inst. de honor. possess.*
- r) *§. 2. Inst. cod.*

## §. X.

*Tutela ergo  
non magis pot-  
est esse paci-  
tia, quam her-  
editas.*

Quae quum ita sint, manifestum profecto est, nul- lam omnino iure Romano esse tutelam pactitiam, eamque potius iuris istius analogiae plane refragari. Nam quum ex eius iuris prudentiae principiis eodem ordine deferatur tutela, quo hereditas: consequens est, ut non deferatur pacto vel conuentione. De hereditate enim futura conuentio omnis irrita habebatur apud Romanos, siue de sua <sup>a</sup>), siue de tertii non consentientis hereditate <sup>b</sup>) quis cum altero pacisceretur: quin pacta haec turpia, bonisque moribus contraria, et plena tristissimi euenitus veteribus videbantur <sup>c</sup>). Qui fieri ergo potuisset falua iuris analogia, ut, qui ab hereditate pactitia tantope re abhorrebant, ii tamen concederent tutelam pactitiam? Aut ergo analogia illa tutelae atque hereditatis destruenda, (quod ne fiat, plane non vereor), aut concedendum erit, non potuisse tutorem pacto ita constitui, ut solum illud pactum illi sufficeret ad tutelam rite capes- fendam administrandamque.

a) *L. 19.*

a) L. 19. C. de paſt.  
b) L. vlt. C. eod.

c) Diſt. l. vlt. C. eod. l. 6. D.  
de verbor. oblig. l. 29. §. vlt. D.  
de donat.

## §. XI.

Accedit aliud, idque satis magni ponderis argu- Quattum ar-  
mentum, ex quo non fuſſe priuati arbitrii tutoris datio- gumentum,  
nem, liquido probatur: nimirum, quod nemini mor- quod priuatis  
talium licuerit alio modo, quam legitimo testamento, per ſolum te-  
liberis tutores conſtituere. Hinc, quum dicitur, ſu- ftamentum tu-  
tores dare  
licuit.

PER PECVNIAE TVTELAEVE SVAE, tutor ſepa-  
ratim ſine pecunia dari non potest, vt ait Paullus no-  
ſter<sup>a</sup>). Quae verba dici non potest, quam torſerint  
interpretes, inter quos Hotomarus<sup>b</sup>) illa ad pupillum re-  
ferre non dubitat, quaſi ſenſus fit, non poſſe patrem fi-  
lio, niſi ſimul heredi ſcripto, tutorem dare: inuita pro-  
feſto Themide, quae et exheredato tutorem a patre dari  
diſertis verbis permittit<sup>c</sup>). Potior ergo eſt Paulli ſen-  
tentia, quam recte iam vidit Gerardus Noodius<sup>d</sup>), non  
valere tutoris dationem, niſi testator ſimul de tutela, ſi-  
mul de pecunia, id eſt, hereditate ſua diſponat, ac pro-  
inde non aliter, quam ſi tutorem det iusto teſtamento,  
cuius caput et fundamentum fit heredis iuſtituſio<sup>e</sup>). Idem enim et Modestinus<sup>f</sup>) monet, dum ſcribit: pater  
filii vel nepotibus, quos habet in potestate, recte dat tuto-  
rem, ſed in teſtamento. Idque adeo verum eſt,  
vt ne imperfecto quidem teſtamento tutor recte datus vi-  
deretur<sup>g</sup>), multoque minus codicilliſ<sup>h</sup>): niſi quod eo  
demum deuenientum, vt dati in codicilliſ teſtamento con-

firmatis perinde, acsi testamento dati essent, accipientur<sup>i</sup>). Denique et per epistolam dari tutorum non posse, indubitati iuris erat<sup>k</sup>). Quamobrem iure inde colligimus, non potuisse patrem vlo alio legitimo modo tutorum liberis constituere, quam vel testamento, vel codicillis testamento confirmatis. Ex eo vero manifesto consequitur, vt pacto constitutus tutor non iure datus videri potuerit, adeoque Romanis ignota fuerit tutela pactitia. Si enim non alio modo, quam testamento perfecto, tutorum recte dabat: quomodo pacto dare potuit? Immo scire vellem, quid mouere potuerit veteres, vt pactis tutorum dari permitterent; epistolis, quibus aequae, ac viua voce inter se paciscuntur homines, non permitterent? Aut ergo reddenda erit ratio, cur tam male constiterint sibi Romani, aut verum erit, pactis tutores non magis, quam codicillis et epistolis, dari iure potuisse.

- |   |   |
|---|---|
| a) L. 53. pr. D. de verbis.<br>signif.                        | f) L. 1. §. 1. D. de confirm.<br>tut.   |
| b) Observat. lib. VI. cap. 5.                                 | g) L. 2. C. cod.                        |
| c) L. 4. D. de testam. tutel.                                 | h) L. 3. D. de testament. tu-<br>tel.   |
| d) Commentar. ad Pandect.<br>cod. tit. tom. II. Oper. p. 542. | i) L. 1. §. 1. D. de confirm.<br>tutor. |
| e) §. 34. Inst. de legat.                                     | j) L. 2. C. cod.                        |

## §. XII.

Sunt equidem, qui stricto iure nullius momenti fuisse tutelam pactitiam non inficiantur, eam tamen conualescere

ualescere potuisse per confirmationem, statuunt<sup>a)</sup>: Sed primo, dum id largiuntur, simul fatendum illis est, tutelam paetitiam iure non substitisse, neque apud Romanos speciem tutelae fuisse singularem, quae ex conventione descenderit. Confirmatione enim non indigebat tutor recte, et ex legum praescripto, sed vitio datus<sup>b)</sup>. Ergo vitio datum esse agnoscere debebant tutorem pateratum datum, adeoque illa tutela non erit singularis et legitimis tutelae species, nisi etiam singulares species tutelae *maternae*, *extraneae*, et *codicillaris* fingere velis, quandoquidem et a matre, vel ab extraneo, vel a patre codicillis testamento non confirmatis datos confirmari, indubitati iuris est<sup>c)</sup>. Si ergo absurdum esset, hos tamquam singulares et legitimas tutelae species obtrudere: qui minus absurdum erit, fingere tutelam paetitiam, quia tutor, ex pacto suscepturus tutelam, possit a magistratu confirmari? Praeterea iustissima dubitandi causa est, tutelam paetitiam *vmquam* fuisse a praetore confirmatam. Confirmatio enim ad tutelam testamentariam tantum pertinebat. Quis vero paetitiam dicebit testamentariam? Deinde omnes casus, quibus tutores confirmandi sint, adequare recensentur in iure nostro<sup>d)</sup>, puta, si talis sit persona, quae non possit testamento tutorem dare, veluti mater, aut patronus, aut extraneus; aut si sit persona, cui dari non possit, veluti si pater filio filiaeque, non existenti in patria potestate, (ita enim legendum esse illum textum, luculenter ostendit Ant. Augustinus)<sup>e)</sup>, aut verbis indirectis, aut denique codicillis testamento

non

n. sup.



non confirmatis, tutores dederit. Atqui nullus horum casuum comprehendit tutelam pactitiam: ac proinde recte colligere nobis videmur, ne confirmatione quidem conualuisse tutelam istam, quippe analogiae iuris plane contrariam, et, si dicendum, quod res est, plane σιδηρόξυλον.

- |  |   |
|--|---|
| a) Stryck in <i>Vsu bsd. Pand.</i>                 | d) <i>L. i. D. eod.</i>   |
| <i>lib. XXVI. tit. 1. §. 4.</i>                    |   |
| b) <i>L. i. pr. et §. 1. D. de confirm. tutor.</i> | e) <i>Commentar. ad Modestin. de excusat. tom. III. Thesaur. iur. ciuit. pag. 1560.</i> |
| c) <i>L. 4. D. eod.</i>                            |   |

### §. XIII.

#### Argumentum quintum.

Porro si ipsam pactorum naturam consideramus paullo adcuratius, numquam Romani illis tantum tribuerunt virtutis, ut credibile sit, eos tutelam pactitiam admisisse. Simplices promissiones non producebant obligationem perfectam et ciuilem, ac proinde nec tutor, qui se tutelam suscepturum promiserat, cogi poterat ad illam suscipiendam, nec praetor ad tutorem ipsum confirmandum: adeoque omnis illa tutela imperfecta fuisset, nulliusque effectus, nisi et ipse, qui promiserat, sponte subiret onus, et praetor eum sua sponte confirmaret. Quae omnia tutelae naturae ac indoli quam maxime repugnare tanto apertius est, quanto minus quisquam ignorat, eam esse munus publicum, ac proinde non nisi ratione, quam maxima et sufficiente, iuridice dicam, iustissima excusatione detrectari; quin ab eo tempore, quo datus est, quoque pupillus tutela indiget, ipso iure aliquem

quem tutorem esse<sup>a</sup>). Quae omnia, si quis pactis effici potuisse existimet: nae illum ego, quid pactum fuerit Romanis, vix satis intelligere crediderim.

a) L. 31. pr. D. de excusat. tutor. vel curat. I. i. C. administrat. et peric. tutor. I. 38. §. 6. D. de si tutor vel curat. fals. alleg.

### §. XIII.

Hic varia illi, quibus huic tutelae ius ciuitatis Romanae adserere cura est, quaerunt effugia. Alius enim promissionem cum effectu, id est, stipulationem, procul dubio interpositam esse ponit. Alius subtilem illam inter pacta et stipulationes differentiam iam a Leone imp. sublatam esse<sup>a</sup>) vrget. Aliis id non nudum pactum fuisse videtur, quod auctor ille doctissimus suo more hoc argumento firmat, quod quae pacta sine plena obligatione ciuili intelligi nequeant, ad pacta nuda non sint referenda. Sed sunt haec omnia ita comparata, ut vel sola documento esse possint, pessimam caussam defendere eos, quibus tot latibilis opus est. Stipulationem interpositam fuisse, nulla lex, cuius praesidio vtantur, dicit, et, si fuisset interposita, illi non plus momenti insuisset, quam pacto nudo, quia inutilis est de rebus, quae non arbitrii nostri, sed publici iuris sunt, interposita stipulatio<sup>b</sup>). Constitutione, quam laudant, Leonis imp. omnem stipulationem ac pactorum discrimen sublatum esse, nemo facile crediderit: quum eum potius solam illam verborum in interrogatione et responsione congruentiam, salua ipsius interrogationis ac responsionis necessitate,

D

tate,

tate, videamus sustulisse<sup>c</sup>). Sed si fingamus, Leonem imp. tantam mutationem inuexisse: consequens tamen erit, vt demum a Leonis istius temporibus inualuerit haec tutela, adeoque loci omnes, ex Pandectarum opere decerpti, quibus talem tutelam Romanis notam fuisse, probant, frustra ab iis ad partes vocentur. Denique non nudum esse pactum, quod plenam obligationem ciuilem producit, facile largimur. Sed dum clarissimi huius argumenti auctor, tale esse pactum de tutela, subsunit, manifesto petit id, quod est in principio, et quod ab ipso prius demonstratum esse nemo dixerit, etiam qui magna animi ingeniique contentione sectiones illas *ἐνταγμένες* citatas expenderit. Quid multis? Qui ostendere conatur, pactum aliquod non nudum esse, ei probandum est, aut legem existare, quae tali pacto obligandivm tribuit, vti donationi Constantini M. lex adsistit<sup>d</sup>): aut praetorem, se illud seruaturum, speciali edicto promisso, quemadmodum Seruium hypothecam edicto suo iuuuisse nouimus<sup>e</sup>): aut pactum tale in continentia accessisse bonae fidei contractui, ex eoque vim obligandi acceptisse, quo sensu pacta adiecta non nuda vocantur<sup>f</sup>). Horum trium capitum si unicum probauerit laudatus auctor, tum demum vietas dabo manus, eumque magnum quid praestitisse fatebor, quin ei gratulabor, cuius iam tirocinia iuris inusitatum atque eximum quid rei publicae litterariae promittant.

a) L. 10. C. de contrah. sibi in Dissert. de tutela pactitia pulsat. Ioach. Georg. Darielius §. 39.

b) §. 2.

- b) §. 2. *Inst. de inutil. stipu-*  
*lat. l. 83. §. 5. D. de verbor. oblig.*  
*l. 27. D. de reg. iur.*
- c) Eu. Otto ad §. 2. *Inst. de*  
*verbor. obligat.*
- d) L. 4. l. 35. C. de donat.
- e) §. 7. *Inst. de act. Ger. Noode*  
*Commentar. ad Pandect. tom. II,*  
*Oper. pag. 432.*
- f) Idem de pact. et transact.  
*cap. II. pag. 509. tom. I. Oper.*

## §. XV.

Quamvis vero in tot argumentis, ex legibus, ipsa-  
que tutelae ac pectorum indeole depromtis, merito mihi  
videor fiduciam aliquam posse collocare: nihil tamen *Ex 1. 15. §. 1.*  
*D. de excu-*  
*sationum libro et hoc in Pandectis enun-*  
*ciatum occurrit: qui patri promisit, se fore tutorem libe-*  
*rorum, excusari ab hac tutela non potest, et si aliter habet*  
*ius excusationis.* Nihil eorum hic dicit Modestinus,  
quae sis, qui tutelae pactitiae patrocinium suscipiunt,  
erant probanda. Non docet, tutorem pacto non minus,  
quam testamento, posse dari: non tradit, illud promis-  
sum tutoris obligationem ciuilem perfectam produxisse,  
multo minus ex eo loco intelligimus id, quod praecipuum  
erat, pactum hoc illi promittenti suffecisse ad tutelam  
caepessendam administrandamque. Sed id vnum ibi agit  
Modestinus, ut doceat, excusationem eius, qui se tuto-  
rem liberorum fore promisit, ob pactum istud non ad-  
mitti, si vel maxime ei non desint causae excusandi iu-  
stissimae. Eius vero decisionis ratio non est, quod quis

per

D 2

per pactum tutor fiat, sed quod omne pactum, quantumvis nudum, et ad excipiendum, et, quum replicatio etiam exceptionis loco sit, ad replicandum proficit<sup>b)</sup>. Fingamus ergo, tutorem siue testamento creatum, siue legitimum, siue a magistratu datum, sese professione, potestate, numero liberorum, vel alia quacumque iusta caussa excusare velle: obstabit illi replicatio pacti, quo minus illi hae prosint exceptiones, quia his exceptionibus voluntarius valide renuntiavit. Paucis: non ibi Modestinus agit de modis, quibus quis tutelam adquirat, sed de excusationibus, quae admittendae vel repudiandae sint, ac ne verbo quidem indicat, pactum sufficere ad tutelam consequendam.

a) L. 15. §. 1. D. de ex- Ger. Noodtius de pact. et trans-  
cusat. act. cap. 6. pag. 498. tom. I.

b) L. 7. §. 5. D. de pact. Oper.

### §. XVI.

*Viri docti ar-  
gumentatio ex  
bac lege.* Sed quum nihil tale illi texui inesse fateri cogantur, illud omne inde argutissime eliciunt per iustum argumentorum seriem<sup>a)</sup>, eamque catenam suam quamvis *nimiae subtilitatis excessum* ipsi fateantur, tanti faciunt, ut se eam ab omnibus, *quas praeuidere potuerint, dissentientium ar-*  
*gutiis tutam praestari existiment*<sup>b)</sup>. Operae pretium ergo erit, auream illam catenam parumper excutere. *Qui se, inquiunt, non potest excusare, ad munus in se suscipiendum tenetur.* Recte sane. *Qui ergo patri promisit, se fore tutorem liberorum, ille tenetur ad tutelam in se susci-*

*suscipiendam, et se non potest excusare.* Et hoc bene ac sapienter, nisi quod medius terminus, quem vocant, contra veteris logices praecepta ingreditur conclusio nem. Concedamus tamen, ut liberales simus, vtrumque, et quod tutor ille, qui patri, se tutorem fore, promisit, obstrictus sit ad tutelam suscipiendam, et quod excusari non possit, quia non possit excusari. *Dum vero (ita iam procedit ἀπόδειξις, ad impossibilia non datur obligatio, excusationes, de quibus hic dicitur, ex fauore a lege tutori constituendo concessò deducendas esse, sequitur.* Qui ergo patri promisit, se fore tutorem liberorum, ad hanc in se suscipiendam tutelam tenetur, nec potest uti excusationibus, ex fauore a lege aliter tutoribus constituendis concessò, dum promissione hunc fauorem remisit. Sunt haec quidem numeris Platonicis obscuriora: sed quia nihil aliud innuit auctor, quam per excusationes, quas per pactum illud amittat tutor, non necessarias, sed voluntarias tantum, intelligendas esse: nihil subest periculi, ut non et id auctori cum plausu largiri possim. *Tutor ergo, (ita pergit auctor,) de quo lex dicit, non potest esse ille, cui ius excusandi ex fauore legum tutori concessum competit.* Hic vero merito aures arrigit lector. Non enim potest, qui non excusat, idem individuum esse cum illo, qui excusat: at potest eiusdem generis esse. Exempli caussa: si unus tutor testamento datus patri promiserit, se tutorem fore, alter non promiserit: prior oleum et operam perdet, si hoc onus excusatione a se amoliri conetur; posterioris excusationes admittentur.

D 3

Iam

Iam is, qui non excusatur, non est idem individuum cum illo, qui excusatur: at eiusdem tamen generis sunt tutores, puta testamento dati. Quis vero hic manibus non palpat vel paralogismum, vel sophisma? Propositio haec tantum de idemtitate individuali vera est, et tamen auctor subsumit de idemtitate generis, atque ita pergit: *competit vero ius* (puta excusandi) *tutori testamentario<sup>c</sup>*, *legitimo<sup>d</sup>*, *datiuo<sup>e</sup>*). Ergo tutor, cuius in hac lege fit mentio, non est tutor testamentarius, nec legitimus, nec datiuus. Ergo ab illo diuersus, puta paclitius. Quae si in fascem colligas, eo redeunt vniuersa; qui se excusare potest, non est idem individuum cum eo, qui se excusare non potest, ergo eum nec eiusdem, sed diuersi generis esse oportet. Nam si praemissam se de individuo accepisse negat auctor, falsa illa erit propositio, ceu iam ostendi, ac proinde et totum eius argumentum in sumum abibit. Quod vt eo clarius ostendam, age veluti παρωδία quadam composita, totam eius demonstrationis seriem, ipsaque verba retinebimus, eademque ratione ostendam, quod vnuquisque nouit falsissimum, dari et quintum genus tutelae, diuersum a testamentaria, legitima, et datiuia, puta quae liberto in patroni liberis competit. Quidni ergo et ego, faciam interpretandi periculum? Ait Alexander imp.<sup>f</sup>): *libertos a tutela vel cura liberorum patroni seu patronae nullam excusationem imperare posse, amplissimus ordo, auctore diuino Marco, censuit.* Iam audi: qui se non potest excusare, ad munus in se suscipiendum tenetur. *Libertus ergo ad tutelam liberorum patroni*

tronii patronae*ue* in se *fusciendam* tenetur, et se non potest excusare. Dum vero ad impossibilia nulla datur obligatio, excusationes, de quibus hic dicitur, ex fauore a lege tutori constituendo concessò deducendas esse, sequitur. Libertus ergò ad hanc *fusciendam* tutelam tenetur, nec potest vti excusationibus, ex fauore a lege aliter tutoribus constituen-dis concessò, dum SCto ab hoc fauore excluditur. Tutor ergo ille libertus, de quo lex dicit, non potest esse ille, cui ius excusandi, ex fauore legum tutori concessum, competit. Competit vero hoc ius testamentario, legitimo, et datiuo. Ergo tutor libertus, cuius in hac lege fit mentio, non est tutor testamentarius, nec legitimus, nec datius. Quam obrem, quum vi SCti specialiter ad tutelam in se *fusciendam* sit obligatus, non vero ex testamento testatoris, nec mandato magistratus, nec ex iure successionis, tutor ille erit tamquam libertus. Quemadmodum vero haec conclusio manifesto falsa et absurdia est: ita auctoris erit cogitare, in qua parte demonstrationis meae latitet vitium. Non vero ullum ostendet, vt non simul sua ipsius vi-neta caedat, quia eius est, quam dicis caussa meam fe-ci, demonstratio.

- a) Dariesius *ibid.* §. 39.
- b) Idem *ibid.* §. 46.
- c) L. 32. l. 33. D. de excusat.
- d) L. 4. C. de legit. tur.
- e) L. 2. §. 5. D. l. 9. C. de
- tutor. l. 25. C. de legat.
- f) L. 5. C. de excusat. tutor.

### §. XVII.

Progreditur auctor ad aliud testimonium, quod ipse locum parallelum vocat, verba nimirum ista Iustiniani <sup>Nec §. 9. Inst.  
eod. hanc ratem  
lam confirmat.</sup> ni<sup>a</sup>):

ni<sup>a</sup>): *si propter inimicitias aliquem testamento tutoreni pater dederit, hoc ipsum praefat ei excusationem: sicut per contrarium non excusantur, qui se tutelam administratores patri pupillorum promiserunt.* Hic primum, quid sit propter inimicitias tutorem dare, disquirit auctor: sed id ad nos non pertinet, quibus perinde est, quae illis verbis ab eo notio subiiciatur. Deinde vero suo more inde hoc dicit argumentum: *tutor propter inimicitias testamento datus, ob fauorem legis, inimicitiis hisce se excusare potest.* Ponamus vero, hunc, se tutelam administraturum, patri pupillorum promisso, hac promissione fauorem legis remisit: consequenter etiam inimicitiis hisce se excusare non potest. Ad tutelam ergo suscipiendam tenetur, non vi testamenti, sed promissionis. Ergo erit tutor pactitus. At ego scire velim, si haec non est, quid sit causatio. Complectuntur Iustiniani verba partim regulam, partim exceptionem. Regula est: *tutori propter inimicitias testamento dato, hoc ipsum praefat excusationem.* Exceptio: *per contrarium non excusat, qui, se administraturum, patri pupilli promisit.* Si ergo hanc exceptionem ad regulam pertinere dixeris, non poteris non ponere casum, quod quis, inimicitiae causa tutor testamento datus patri, antequam id fieret, se tutelam administraturum, promiserit. Quo posito, habebimus tutorem testamentarium, non pactitium. Testamentarius enim, cuius ob pactum reiicitur excusatio, procul dubio manet testamentarius. Deinde ignoratione elenchi tota illa laborat demonstratio. Non enim probandum

dum erat, tutores aliquos ad suscipiendam tutelam vi promissionis teneri, (id enim non facit tutorem pactum), sed esse, *qui ob solum pactum tutores fiant*. Vidimus, libertos ad suscipiendam tutelam vi conditionis suae, non testamenti, teneri: eos tamen non ideo esse tutores, quod liberti sint, sed quod vel a testore, vel a magistratu, ad tutelam sint vocati. Omnia ergo ad hanc speciem redeunt: qui inimicitiae caussa tutor testamento datus est, permultas adducit excusationes, rationesque grauissimas, quae alioquin ad amoliendum istud onus sufficiunt, maxime vero, se inimicitiae caussa tutorem datum esse. Praetor, illis reiectis exceptionibus hominem ad suscipiendam administrandamque tutelam adigit, ex ea ratione, quod se ad tutelam suscipiendam promisso obstrinxerit: quaeritur, sitne postea hic tutor testamentarius, an pactius? Credo, vel dupondium responsorum, eum nihilominus testamentarium esse, quia non quaeratur, *cur teneatur tutelam*, omni reiecta exceptione, *suscipere?* sed, *cur tutor sit?* Hoc enim illum testamento, illud pacto debere.

a) *§. 9. Inst. de excusat.*

### §. XVIII.

Quam leuia, et paene siculnea haec sint argumenta, iam vnuquisque, opinor, intelligit. Et tamen clarissimus auctor in illis tantam collocat fiduciam, ut pluribus ad sententiam suam in tutto collocandam ne quidem opus esse existimet. *Multis quidem aliis*, inquit,

E *Vana iactatio  
demonstra-  
tionis.*  
*legibus*

legibus idem hoc principium nostrum corroborari posset, v. g. ex l. 29. D. de testam. tut. l. 18. §. 1. D. ad leg. Cornel de fals. etc. si veritatem rei a multititudine, et non a grauitate argumentorum, dependere nouissem<sup>a)</sup>). Itaque fatus hac argumentorum suorum grauitate demonstrationi suae hunc colophonem imponit: quidquid ex legibus iuris civilis Romani bona deduci potest consequentia, in iure civili Romano fundatum est. Tutela vero pactitia ex legibus iuris civilis Romani deduci potest. Ergo et tutela pactitia in iure civili Romano suum agnoscit fundamentum. Enimuero quum adsumtum manifesto falsum sit, et clarissimus auctor tutelam pactitiam ne per mediocrem quidem, nedum bonam consequentiam, sed per mera sophismata ex legibus iuris Romani infelici conatu elicuerit: quam firmo talo stet conclusio, nemo non animaduertit.

a) Dariesius §. 43. in scholio.

### §. XVIII.

*Sed et l. 29.  
D. de testam.  
tut. tutelae  
pactitiae quam  
maxime obstat.* Sed iamiam prouehitur vir clarissimus ad ea, quae sibi ab aduersariis obuerti dicit, examinanda. Haec vero, quia me non feriunt, merito praetermitto, nec tanti videtur illud examen, vt aduersarii ob illud vadi monium deserturi videantur. Hinc potius, quid roboris insit argumentis, quae ille tantum obiter attigit, paucis expendere iuuabit. Elegans est locus hic Papiniani<sup>a)</sup>: ex sententia Scti Liboniani tutor non erit, qui se

*Se testamento pupillo tutorem scripsit. Quum autem pa-*  
*tris voluntas, hoc ipsum manu sua declarantis, ambigua*  
*non esset, eum, quamvis alii tutores essent, curatorem*  
*dandum respondi: nec admittendam excusationem, quam*  
*iure publico habebat: quoniam promissè videbatur: nec*  
*ut suspectum remoueri. Manifesta est species, ad quam*  
*hoc Papiniani responsum. Lucius Titius liberis suis*  
*plures dederat tutores, et in his Seium quoque, quem*  
*scribendis tabulis adhibuerat: incidebat quaestio, an*  
*huius pars aliqua administrationis committenda esset? et*  
*quum ipse Seius mallet ea tutela carere, an admitti*  
*eius excusationem, quantumuis iustum, oporteret?*  
*Iam, quod ad priorem quaestionem attinet, plures*  
*Seio obstat videbantur rationes, cur esset ab omni*  
*administratione repellendus, et primum quidem, quod*  
*ex sententia SCti Liboniani tutor non sit, qui se testamento*  
*pupillo tutorem scriperit. Cautum enim erat SCto Li-*  
*boniano, ut teneatur quasi falsarius, quamvis falsarius*  
*non sit, poena legis Corneliae is, qui alienum testa-*  
*mentum scriperit dictante testatore, si hereditatem, vel*  
*legatum, vel fideicommissum sibi adscriperit, quamvis*  
*id iussu testatoris fecerit<sup>b</sup>). Quamvis ergo id SCtum*  
*non meminisset, nisi hereditatis, legati, et fideicom-  
missi: latius tamen patebat eius sententia, quippe quae*  
*ad omnia reliqua, quae sibi quis ipse adscripsisset, por-*  
*rigebatur, veluti si sibi quis liberorum testatoris adsi-*  
*gnationem liberti<sup>c</sup>), vel mortis caussa capionem<sup>d</sup>),*  
*vel aliud quid, adeoque et tutelam, quae hereditati in*

E 2

iuri

iuri nostro aequiparatur, adscripsisset <sup>c)</sup>). Quum ergo in fraudem legis faciat, qui, saluis verbis legis, *sententiam eius circumuenit* <sup>f</sup>), dubitandum profecto non videbatur, quin Seius *ex sententia SCti Libonianii tutor esse non posset, quia se testamento tutorem pupillo scripsisset*. Deinde et id obstabat Seio, quod se ipse ingessisse videatur, ac proinde tamquam suspectus esset remouendus <sup>g</sup>), si vel maxime tutelam suscipere vellet. Sed vtramque rationem nullius ponderis esse, probe animaduertebat Papinianus, qui priorem ita refellit: *quum autem patris voluntas, hoc ipsum manu sua declarantis, ambigua non esset: eum, quamvis alii tutores essent, curatorem dandum respondi*. Neque enim locus est poenae legis Corneliae, si testator, testamentarium talia se volente ac iubente scripsisse, manu sua adnotaslet <sup>h</sup>). Ad alteram rationem paucis respondet: *nec eum ut suspectum remoueri, non addita decisionis causa, quam tamen satis luculentam reperimus in iure nostro* <sup>i</sup>), *suspectum nimirum esse, qui operam suam ingerat inuito*, non ergo, qui eam volenti offerat: *ceu recte obseruat maior omni laude mea Cuiacius* <sup>k</sup>). Denique alteram quaestionem, an Seius excusatione vti possit? ita decidit, vt id ab eo fieri posse neget, addita ratione, *quoniam promisisse*, adeoque excusationibus suis renuntiasse, *videretur*. Haec est vera huius legis ανάλυσις. Iam vnumquemque iudicem fero, an ea vel in speciem faueat iis, qui tutelae pactitiae patrocinium suscipiunt. Seius sane tutor non fuit ex pacto, sed ex testamento: *excusari*

excusari autem, vt alii testamentarii, non poterat, quoniam promisisse videbatur. An testamentarium ideo esse desiisse dicemus, quod eius excusationes replicatione pacti excludantur? Mira haec erit metamorphosis, quin ipsis Ouidianis mirabilior, saltim vniuersi iuris principiis contraria, quae tutorem non ab ea caussa, ob quam eius excusationes non admittuntur, sed propter quam tutor est, denominare solent.

- a) L. 29. D. de testament. tu-  
tel. e) Cuiac. in Papin. *Respons.*  
pag. 566.
- b) Collat. legum *Mosaic.* et  
*Roman.* tit. 8. §. 7. Cuiac.  
*Paratitl.* Codic. tit. ad leg. Cor-  
nel. de fals. Petr. Faber Se-  
meistr. lib. 1. cap. 25. pag. 143.  
Salmas. ad *Ius Attic.* pag. 877.
- c) L. 22. §. 8. D. ad leg. Cor-  
nel. de fals.
- d) Dict. l. 22. §. penult. D.  
eod. f) L. 29. l. 30. D. de legib.  
g) L. 21. §. 6. D. de tutor.  
et curat. dat. l. 28. §. 1. D. ad  
leg. Cornel. de fals.
- h) L. 1. §. 8. D. ad leg. Cor-  
nel. de fals. l. 15. §. 1. D. eod.
- i) L. 25. D. de procurat.
- k) Cuiac. in Papin. *Respons.*

## §. XX.

At vir clarissimus hoc Papiniani responsum adeo non obstare sibi existimat, vt illo suam corroborari sententiam existimat. Audianius ipsa viri docti verba: *casus*, inquit, *ex hac lege ita formari* debet. *Aliquis se testamento pupilli tutorem scripsit: nunc quaeritur, an ille etiam ad promissum seruandum obligatus sit, et an se possit excusare?* Respondet lex, *ex sententia Scti Liboniani non tenetur, sed ex lege tenetur, et se non potest excusare, quia promisisse videtur.* Vbi vero, obsecro, haec

*Viri docti ex  
hoc dictum  
argumentum.*



omnia lex dicit? Non sane ait Papinianus, eum ex SCti sententia non teneri, sed resellit potius eos, qui eum ex sententia SCti tutorem esse posse negant. Et ex qua, quaeſo, lege teneri potuit, si eum repulit SCtum? An non animaduertit auctor tam sagax, illud SCtum Libonianum ad quaestionem, an excusari possit talis tutor, nihil facere, sed ad aliam plane quaestionem, an nempe tutor esse possit, pertinere? An non ei suboluit, esse hanc rationem dubitandi, ex qua iura probari non oporteat, sed ex decidendi rationibus? Et tamen ille subiicit: *dicis, tutorem esse testamentarium.* Ego vero et dico, et adfero, et contendō. Ex qua ratione? inquit, *quia se scripsisset tutorem testamento? Minime.* Ad tutorem enim testamentarium requiritur, ut a testatore in testamento sit denominatus tutor<sup>a)</sup>): non vero qui testamento se tutorem scriperit: *hoc enim tantum ad promissionis probationem fieri primo intuitu intelligitur.* At ego Dauius sum, non Oedipus, qui id, non dicam primo intuitu, sed ne lege quidem iterum iterumque perlecta expensaque intellexi. Aio ergo, tutorem hunc fuisse testamentarium. Ex qua ratione? an, quia se scripsit tutorem testamento? Absit, vel me, vel quemquam alium tam stolidum esse. Immo, ob eam cauſam tutorem aliquem esse, negauerim. Ideo enim ille, qui se tutorem testamento scripsit, tutor est testamentarius, *quia patris voluntas, hoc ipsum manu sua declarantis, ambigua non erat,* eaque adnotacione omnis euanescebat falsi suspicio. *Quum ergo ob hoc ipsum tutelae pro falsis*

falsis non amplius haberentur: quidni et tutoris dationem valuisse dicamus? Reliqua, quae subiicit auctor clarissimus, mihi offerunt telum, quod in eius iugulo, si tam truculentus essem, iure desigere possem. En enim argumentum: ad tutorem testamentarium requiritur, ut a testatore in testamento denominatus sit tutor, non vero, ut se testamento tutorem scripserit. Seius vero ille, cuius caussam Papinianus responso defendit, fuit a testatore in testamento denominatus, non se testamento scripserat, *quia patris voluntas, hoc ipsum manu sua declarantis, non erat ambigua.* Seius ergo ille fuit tutor testamentarius. Falsum ergo etiam est, quod primo intuitu intelligi putat vir oculatissimus, hanc patris annotationem tantum ad probationem promissi pertinere: non enim pater adscripserat margini, Scium se ad tutelam suscipiendam obstrinxisse, sed *voluntatem suam*, quod Seium tutelam suscipere velit, *manu sua declarauerat.* Ac proinde nihil in hac lege est, quod non viri doctissimi caussam aperte et manifesto iugulet.

a) L. 3. pr. D. de testam. tutel.

### §. XXI.

Est et altera lex, ex qua se suum principium corroborare potuisse, scribit auctor clarissimus, *si veritatem rei a multitudine, et non a gravitate argumentorum dependere statuisset*, quam praeterire religioni mihi duco. Ait nimirum Paullus<sup>1)</sup>: *qui se filio testatoris*

Argumentum eiusdem ex 1.  
Ig. 6. 1. D.  
de leg. Cornel. de fals.

testatoris impuberi tutorem adscripsit, et si suspectus esse praesumitur, quod vltro tutelam videbitur adfectasse, tamen, si idoneus esse adprobatur, non ex testamento, sed ex decreto tutor dandus est. Nec excusatio eius admittetur, quia consensisse videtur voluntati testatoris. Dekerpta est haec lex ex Paulli *Sententiis*<sup>b)</sup>, in quibus illa et hodie, sed alio plane sensu, ita legitur, qui se filio testatoris impuberi tutorem adscripsit, ut suspectus a tutela remouendus est, ad quam vltro videtur adfectasse. Sed ego non ideo dicam scripserim vel Aniano, quod Paulli sententiam corruperit, quod eruditissimus Schultingius suspicatus est<sup>c)</sup>, vel Triboniano, quod haec, quae in Pandectis occurunt, de suo adiecerit. Vtrumque enim et genuinum esse posse, facile vniuersisque intelligit. Anianus regulam tantum retinuit, puta, suspectum esse tutorem, qui se ipse tutorem pupillo adscripsit, quia tutelam vltro adfectasse videatur. Tribonianus vero simul exceptionem subiunxit, eum nimirum admittendum, si idoneus adprobetur. Ex quo vero titulo tutor erit? An ex testamento? Negat Paullus. Nam illud vitio laborat. Ergo procul dubio ex pacto. Ita collegisset laudatus tutelae pactitiae patronus, si hanc legem examine dignam statuisset: maxime si verba postrema expendisset: nec excusatio eius admittetur, quia consensisse videtur voluntati testatoris. Procul dubio ergo ei sub manu natum esset argumentum: qui tutelam suscipere tenetur non ex testamento, sed quia consensisse patris

patris voluntati videtur, is tutor non testamentarius; sed paetius est: is, cuius Paullus meminit, tutor non ex testamento, sed, quia patri consensisse videtur, tutelam tenetur fuscipere: est ergo tutor non testamentarius, sed paetius.

- a) L. 28. §. 1. ad leg. Cornel.      c) Iuris prudent. vet. anteiu-  
de falf.      ffin. pag. 338. sequ.  
b) Lib. III. tit. 6. §. 15.

### §. XXII.

Sed id quoque argumentum primo est ἀπροσδιόνυ- *Eius examen.*  
 τον. Neque enim tutor denominatur ab eo, quod efficit, vt cogatur tutelam fuscipere, e. g. quia promisit, se tutorem fore, vel quia libertus est: sed a titulo, quo tutela illi delata est. Deinde nemo non videt, duas et hic quaestiones tractare Paullum, alteram, an admittendus sit, qui se ipse tutorem adscriptis? alteram, an excusari possit? Priorem adfirmat, si idoneus adprobetur: posteriorem negat ex ea ratione, quod consensisse patris voluntati videatur. Priori decisioni obstatre videbatur, tutoris dationem ob praesunitam testamenti falsitatem nullam esse, adeoque hunc tutorem nullum titulum, ex quo tutelam fuscipiat, pro se allegare posse. Quid ad haec Paullus? An ex pacto tutorem esse tradit? Minime vero. Non ex testamento, inquit, sed ex decreto tutor dandus est. Non ergo ex pacto, sed ex decreto, puta magistratus, sive hic illum, tamquam mi-

nus recte testamento datum confirmet, siue tamquam idoneum sibi nominatum tutorem suo arbitrio constituat. Priore ergo casu erit tutor *testamentarius*, a praetore confirmatus, posteriore *datius*, neutro *pactitus*, quamvis pactum, quod ex adscriptione praesumitur, efficiat, ut excusatio illi nulla proficit, tutelam detrectare postea volenti.

### §. XXIII.

*Reliqui texus,  
qui pro tutela  
pactitia adfe-  
runtur.*

Sunt haec illae leges, quarum clarissimus, cuius hanc tenus doctrinam expendi, auctor facit mentionem. Sed cum alii iustum earum agmen veluti cum subsidiis collacent: non committendum putaui, ut, dum res ad triarios redit, acie excessisse videar. Attamen quum iam alii viri doctissimi et Icti omni exceptione maiores, praeципue autem meritissimus illustris Fridericianae Professor, Christian. Gottl. Knorrius <sup>a)</sup>), in hac arena ita versati sint, ut fere nihil mihi reliquiarum voluerint superesse: tanto sane mihi licebit in posterum esse breviori. Sunt vero omnes illae leges, ad quas me remittunt, vnius generis, ac proinde eas uno veluti fasciculo comprehendere licebit. Prima <sup>b)</sup> ita se habet: *si non erit a testatore electus tutor, aut gerere nolet: tum is gerat, cui maior pars tutorum tutelam decreuerit.* Altera <sup>c)</sup> talis est: *quodsi quis tutelam mandauerit gerendam, gestane fuerit ab eo, cui mandatum est: locus erit tutelae actioni, videtur enim gessisse, qui per alium gessit.* In tertia <sup>d)</sup>

Try-

Tryphonius ita differit: *tres tutores pupillo dati sunt: unus tutelam gessit, et soluendo non est; secundus Titio gerendam mandauit, et Titius quaedam administravit; tertius nihil omnino gessit.* Quae*stium est, quatenus quisque eorum teneatur?* Et quibusdam interiectis <sup>a</sup>): *non solum gessisse tutelam is creditur, qui alii gerendam mandauit, sed et qui satis a contutore accepit, rem saluam pupillo futuram, eique permisit administrationem totius tutelae, nec potest se defendere constitutionibus, quae inbent conueniri eum, qui gessit.* Addunt testimonium Vlpiani <sup>f</sup>), qui, quum monuisset, esse quosdam tutores honorarios, esse, qui notitiae causa dati sint, esse denique, qui ad hoc dentur, ut gerant, de his porro ait: *et hoc vel pater adiicit, ut unus gerat, vel voluntate tutorum vni committitur gestus, vel praetor ita decernit.* Videntur et imperatores, Carinus et Numerianus <sup>g</sup>), succinere, quippe quorum haec verba sunt: *si in ipsis tutores inter se res administrationis diuiserunt, non prohibetur adolescens unum ex his in solidum conuenire, ita, ut actiones, quas aduersus alios habet, ad electum transferat.* His per omnia similes sunt et reliqui, quos ad partes vocant, textus <sup>h</sup>), ut iis similiter adscriptis diutius morari lectorem paene pudeat. Ex his vero omnibus duo, quae sententiam meam subuertere possint, enunciata elicere videntur: primum, licere priuatis super tutela pacisci, eamque non modo vni ex contutoribus decernere, vel eam inter se diuidere, verum etiam tertio, qui tutor

F 2

non

non sit, mandare, eique gestum committere. Alterum, quod is, qui ex mandatu ac voluntate alterius tutelam administret, per conuentionem consequatur tutelam, adeoque vere sit tutor pactitus. Nisi enim ita argumenta sua instruant, ego quidem, quid illi sibi hac legum turba velint, non intelligere me fateor.

- |   |  |
|---|--|
| a) Singulari Programmate de<br>tutela pactitia.               | e) Dict. l. 55. §. 2. D. eod.  |
| b) L. 3. §. 7. D. de administr.<br>et peric. tutor. et curat. | f) L. 14. §. 1. D. de solut.   |
| c) L. 5. §. 3. D. eod.  | g) L. 2. C. de diuid. tutel.   |
| d) L. 55. pr. D. eod.   | h) L. 5. D. de magistrat. con-<br>uen. §. 1. Inst. de satisfat. tutor.<br>vel curat. |

### §. XXIII.

*Iis non pro-  
batur, licita  
fuisse pacta  
de tutela fuf-  
cipienda.*

Sed neutrum profecto consectarium in tot legibus praesidium reperit. Nulla enim earum speciem vel exemplum profert pactionis super tutela interpositae.

Aliud enim est, de tutela alicui deferenda pacisci, aliud administrationem vel gestionem eiusdem alteri mandare, committere, res administrationis cum contatore petere partiri. Qui prius pactum init, paciscitur de re non sui arbitrii, sed quae publicam caussam habet, ea- que pactio iure non potest subsistere. Qui posterius: de eo paciscitur, quod iam habet, et quod adeo omnino tali conuentione in alium transferre potest. Quis, quaerlo, ignorat, magistratus iurisdictionem suam non modo collegis<sup>a</sup>), verum etiam priuatis<sup>b</sup>) mandare potuisse? An vero vlli mortalium in mentem veniat, ma-

gistra-

gistratibus de honoribus suis pacisci, vel transferre illos potuisse? Priuatus sane manebat ille praetoris mandatarius, tantumque abest, vt ideo praetor factus sit, vt, si vel maxime antea esset praetor, qui alienam iurisdictiōnem exsequebatur, non tamen pro suo imperio ageret, sed pro eo, cuius mandatu ius dicebat <sup>c).</sup> Idem de tutela obseruandum. De illa pacisci nemo poterat: eius vero gestionem vel administrationem ei licebat alii, siue contutori, siue extraneo mandare, sed ita, vt hic ideo non fieret tutor, sed omnia nomine eius, cuius mandatu gerebat, gereret. Vnde nec mandatarius, qui tutor non erat, sed mandans tutelae actione erat conueniens, ceu omnes, quas pro sua sententia viri docti adducunt, leges perspicue probant.

a) *L. 3. D. de offic. eius, cui mandat. est iurisdict.*

b) *L. vlt. §. 1. D. eod.*  
c) *Dict. 1. §. D. eod.*

### §. XXV.

Sed tametsi fingerem, fas fuisse tutoribus de ipsa *Multo minus Romanis fuisse tutores pacificios.* iam suscepta tutela pacisci, inde tamen non consequetur, vt quemquam ex his omnibus tutorem paectium dici posse fateamur. Prima, quam adduxi, lex diserte ponit, plures *a testatore* datos esse tutores, et *non electum* ex iis vnum, qui gereret. Fuere ergo omnes illi tutores testamentarii, et ne ii quidem, quibus reliqui tutelam, puta eius administrationem, decreuerant, id munus ob pactum cum contutoribus primum consequbantur,

F. 3

sed

sed administrationem tantum. De contatore enim non extraneo, loqui licet, ex reliquis testimoniis satis adparet. In altera lege extraneo mandatur gestio, sed tantum abest, ut is tutor fiat pacitius, ut ne tutor quidem sit, sed tutoris procurator, quia *ipse* non tamquam *tutor gessisse videtur, qui per alium gessit.* Id quod et de tertio loco dicendum, nec non de quarto, ubi diserte negatur, cum tutorem fieri, cui gestio mandatur, *sed eum gessisse credi tutelam adseueratur, qui alii gerendam mandauit.* Vlpianus in quarto textu aperte loquitur de tutoribus, quos pater testamento dederat. Monet enim, si is non adiecerit, ut unus gerat, tunc vel voluntate contotorum, vel praetore ita decernente, vni gestum committi. Num vero, qui iam ex testamento tutor est, id eo pacitius sit, si illi gestus committitur? Postrema constitutio, *ipso tutores res administrationis diuisisse*, refert. Tutores ergo fuerunt, antequam res illas administrationis, interueniente pacto, diuiderent. Qui iam antea tutores fuerint, tales non demum sunt per pacitum: ac proinde non sunt tutores pacitii.

### §. XXVI.

*Conclusio dissertationis.*

Et haec sunt, quae *de tutela pacitiae* differenda putauit: quae ex humaniore iuris prudentia, ipsisque veterum scriptorum monumentis passim illustrare licuisset, nisi argumentorum et syllogismorum argutiae, quibus mihi noua iuris prudentia obtruditur, logicam exigere visae

visae essent analysin. Ne ergo mirare syllogismos paſſim inspersos, quibus ornamentiſis alias in hoc ſcribendi genere doctores vti vix ſolent. Iuuenal is<sup>a</sup>) olim eo ſe ſaeculo natum eſſe credebat, quo *difficile* eſſet *ſatyrām non ſcribere*: alioque loco<sup>b</sup>) lepide canit:

*Si natura negat, facit indignatio verſum,  
Qualemcumque potest, quales ego, vel Cluienus.*

Sed mihi certe, eo ſaeculo nato, quo omnia demonſtrationibus, ſyllogiſmis, ac foriſtibus perſtrepunt, diſſicile etiam fuit, non ſcribere ſyllogiſmos. Quos vero na-  
tura, ingenium, priſtinaque ſcribendi ratio mihi negant,  
facit indignatio ſyllogiſmos,

*Qualemcumque potest, quales ego, vel Duarenus.*

a) *Satyr. 1. v. 30.*


b) *Satyr. 1. v. 79.*

F I N I S.









Ke 4587

VD 18

**ULB Halle**  
007 679 149

3





B.I.G.

Black



IO. GOTTL. HEINECCII, Ict.

POTENTISS. PRVSSOR. REG. A CONSIL. SECRET.

MVR. AC PHILOS. IN ILL. FRIDERIC.

PROFESS. PVBL. ORDIN.

D I S S E R T A T I O  
D E  
T V T E L A P A C T I T I A  
S E V  
C O N V E N T I O N A L I .

9. 246

He  
4587



L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

CICLOCCCLXV.

24. 2. 06.

